



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXXI. De Absolut: Sacram: à reservatis in periculo vel Articulo
mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

prævideat periculum incontinenti
humillimè supplicat pro dispensatio-
ne ad effectum nubendi &c.

Observe etiam in litteris Romanæ
ad *Eminentiss. Maj. Penitent.* missis sig-
nificari debere, quomodo & quâ
responsum sit mittendum: quare li-
teræ poterunt terminari in hunc
similem modum: *Dignetur Eminenti-
vestra rescribere NN. in Civitate tali
vel Oppido N. &c.*

QUÆSTIO XXXI.

*De Absolutione Sacramentali à reser-
vatis in periculo vel Articulo
mortis.*

Vicar. **Q**uæro an concessio pro Peni-
tente absolvendo à re-
servatis, extendatur non solum ad ar-
ticulum, sed etiam ad periculum mortis.
S. Extenditur ad utrumq; siquidem ju-
ra, quæ reservant absolutionem modo
excludunt aut excipiunt articulum,
modo periculum mortis.

V. Igi-

U. Igitur absolutio à reservatis poterit impendi in periculo mortis.

S. Poterit à Sacerdote approbato, si periculum sit præsens.

U. Cur non à simplici?

S. Ideò, quia simplex Sacerdos non habet Jurisdictionem pro periculo, sed solum pro articulo mortis.

U. Si infirmitas sit periculosa, incipit etiam periculum mortis, ergo absolutionem à reservatis potest conferre Sacerdos approbatus à primo die infirmitatis periculosa.

S. Potest. Vi: *Sanch. de Sacram. Disp. 12. n. 5. Dian. par. 3. Tract. 4. resolv. 57. & alios.*

U. Utique dices quòd si periculum sit solum probabiliter superventurum, & tempus adsit antequam superveniat accedendi Superiorem aut habentem facultatem, teneatur Pœnitens accedere.

S. Dico Pœnitentem obligari ad accessum: hinc deduco, quòd ille, qui pro-

cedit ad Bellum, quia se mortis periculo exponit, teneatur antequam ea (si casus reservatos habeat) accedere Superiorem aut Confessarium facultatem absolvendi habentem pro obtinenda à reservatis absolutione, cum periculum prævisum sit in tempore in quo potest accedere.

U. Sit autem periculum mortis imminens, ita ut non sinat irretitum reservatis personaliter accedere, esset tunc obligatio recurrendi ad Superiorem, vel per litteras, vel per nuntium tacito nomine licentiam petentem, ut possit absolvi.

S. Non: quia enim in articulo mortis sicut etiam in periculo imminente cessat omnis reservatio, idcirco cessat omnis etiam per alium adeundi Superiorem: præterea loquendo in ordine ad Tribunal Sacramentale qui non potest accedere Superiorem per se censetur non habere copiam illius, siquidem in hoc Tribunali exigitur præsentatio per-

personalis immediata, adeoq; sequitur, quòd qui se præsentaret per alium, non se præsentaret eo modò, quo exigit Tribunal Sacramentale: hinc oportet Confessarios accedentes ad audiendas Confessiones eorum, qui sunt in periculo mortis, seu graviter ægrotant, valdè cautos esse, & non cogitare de suscipiendo onere adeundi Superiorem pro obtinenda facultate absolventi, verum absq; scrupulo Pœnitentem periculosa infirmitati subjectum etiam à reservatis absolvere.

U. Si graviter ægrotans non tenetur neq; mediata & per alium petere à Superiore facultatem pro obtinenda absolutione à reservatis, saltèm obligabitur ipsum advocare si fieri possit.

S. Nec advocare, quando id fieri non potest absq; gravi Nota & suspitione.

U. Ponamus casum, quòd apud Regulares habeat, aliquis casus reservatos suo Superiori locali, sitq; in gravi infirmitate constitutus, eritnè obligatus

tus advocare Superiorem in eodem
Conventu commorantem pro absolu-
tione obtinenda?

S. Si Superior vigilans & benignus con-
suevit ægros suæ curæ subjectos fre-
quenter invisere, erit obligatio ipsius
advocandi, tunc enim Pœnitens sine
aliqua Nota aut suspicione censetur
habere copiam illius, secùs autem di-
cendum iudico, si non consuevisset
accedere infirmum, nisi petitus.

U. Possetnè præsentè illo ad quem de
jure spectat absolutio à reservatis qui-
libet alius etiam simplex Sacerdos à
reservatis absolvere in articulo vel im-
minenti periculo mortis?

S. Posset: quia cum reservatio non se
extendat ad Articulum, vel præsentè
periculum mortis, nec etiam se exten-
det indigentia facultatis pro reserva-
tis; præterquam quòd in articulo aut
imminenti mortis periculo sit æqualis
jurisdictio Superioris & inferioris jux-
ta indultum Sedis Apostolicæ.

U. Re-

U. Recordor te alibi dixisse, quòd si quispiam tempore Jubilæi cum intentione illud lucrandi confessus, oblitus fuisset alicujus reservati, possit postea Jubilæo transacto à quocunque Confessario absolvi; quæro, an etiam cesset aut sublata sit reservatio, si quispiam in periculo mortis constitutus, obliviscatur in Confessione alicujus peccati reservati?

S. Sublata est reservatio, nam etiam illud peccatum reservatum cujus oblitus est fuit implicite aut indirecte subiectum clavibus, quia peccata oblita ut habet *Sac. Conc. Trid.* in eadem Confessione inclusa intelliguntur, & consequenter cum sint in eadem Confessione inclusa, absolutio cadit etiam super ipsa, sicq; non remanet alia obligatio, quàm ea explicitè subjiciendi clavibus, dum menti occurrunt, coram quocunq; Confessario.

U. Supponamus quòd Peccatum cujus obliviscitur in tali statu existens habeat

beat annexam Censuram reservatam
 S. Etiam tunc aufertur reservatio, &
 remanet solum onus comparandi co-
 ram Superiore si aeger convalescat. Se-
 cerdos namq; absolvens, juxta men-
 ram indigentiae Pœnitentis absolvit,
 & intendendo actum facere eo modo
 efficaciori quo fieri potest, intendit
 actum perfectum, adeoq; totam facultatem
 suam exercere juxta indigentiam
 Pœnitentis.

V. Si autem infirmus confiteretur in-
 validè?

S. Non desunt plurimi DD. affirmantes,
 tunc quoque infirmum remansurum
 liberum à reservatione Censurarum,
 ita ut postea à quolibet Confes-
 sario absolvi possit cum sola obligatio-
 ne se præsentandi.

V. Sed nunquid absolutio esset in-
 valida?

S. Utiq; esset invalida absolutio à pec-
 catis, quia poneretur obex ex parte
 Pœnitentis, non tamen esset invalida
 absolutio à Censuris.

V. Quà

U. Quâ ratione?

S. Quia in ordine ad absolutionem à Censuris non ponitur obex, cum ad hanc non requiratur aliqua specialis dispositio, eo modo quo requiritur ad absolutionem à peccatis.

U. Ex Opinione quâ amplecteris concludo quòd Pœnitens remanebit absolutus etiã à Censura annexa peccato, quod in Confessione tacuit.

S. Sic concludunt Botton. ad Bullam Sixti V. p. 118. Thom. Vadin. de Jubil. p. 58. Bossius de Jubil. Sect. 1. casu 34. num. 10. & hoc ipsum sentiunt quoad reservationem peccatorum quæ sunt absq; Censura, si quispiam in periculo mortis confiteretur invalidè, quòd videlicet remaneat sublata reservatio, hanc rationem assignantes: Quia licet absolutio à peccatis reservatis sit unicus actus, habet nihilominus duplicem virtutem, unam quâ tollit peccata, quâ peccata sunt, & alteram quâ tollit reservationem, ita ut resolvi possit quasi

quasi in duplicem actum realiter distinctum, quam resolutionem dicunt patere ex eo, quia Superior potest relaxare aut tollere reservationem, & remittere Pœnitentem pro absolutione à peccatis ad inferiorem, igitur concludunt, quòd absolutio tunc valebit quatenus est relaxatio reservationis, licet non valeret quatenus est absolutio à peccatis. (*Adjiciunt*) quòd actus, qui ex uno capite non valet, subsistat ex alio capite ex quo valere potest, ergo cum actus absolutionis possit valere quatenus cadit supra reservationem, licet non valeat quoad remissionem peccatorum debet nihilominus subsistere ut tollens reservationem.

V. Quod nullum est, nullum parit effectum, atqui tunc absolutio esset nulla, ergo non tolleretur reservationem.

S. Quando causa applicata subjecta potest producere plures effectus, si subjectum sit incapax unius producit alter-

alterum, cum ergo absolutio possit habere effectum nempe tollendi peccata, & etiam auferendi reservationem, si tollere non possit peccata quia reperit obicem, tollet reservationem, quia quoad hunc effectum non est obex neque verum est quod absolutio prout respicit reservationem sit nulla. U. Descendamus ad materiam de Censuris.

S. Fiat.

QUÆSTIO XXXII.

In qua præmissis quibusdam de Censuris in genere tractatur de prima specie nempe Excommunicatione.

Vicar. **Q**uid est Censura propriè & strictè sumpta?

S. Est pœna Ecclesiastica spiritualis & medicinalis, fori exterioris privans hominem baptisatum delinquentem ac contumacem usu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat.

U. Cur dicitis pœna Ecclesiastica?

S. Quia